

prolixum in tria distinctum *Capita*, quod incipit: *Reducendo igitur ad breuitatem ea que prolixè sunt dicta de domini nostri ihesu christi et apostolorum eius paupe- re uita per dicta sacri textus et auctoritates sanctorum et rationes multiplices concluduntur tria. scilicet quod habuerunt res ad usum necessarium uite — quod uitauerunt superfluum usum rerum et seruauerunt strictum et artum et — illa pauca que habuerunt liberalissime indigentibus fecerunt communia et pro ipsis temporalibus retinendis uel repetendis omnia caudica litigia tanquam eis prohibita uitauerunt &c.* E quo principio adparet, praesentem Tractatum, quamvis, ut dixi, sat prolixum Compendium tamen esse prolixioris cuiusdam, cuius vestigium apud Autores non inuenio. Scriptum esse post Concilium *Viennense* e variis locis liquet. Ceterum, quae suo tempore evincere non valuit Noster, lenius deinceps effectum est *Fratribus in dictos Conuentuales et de Observantia digressis*, quibus rigidiores deum *Capucini* supervenerè.

DXLII.

969 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 203. 4. minutius exaratus, rubricisque distinctus exhibet: I. *Marsilii Menandrini* seu *Mainardini Defensorem* sive *Defensorium Pacis* perperam hic inscriptum *Guilelmo Occamo* O. M. de quo egi *Cod. anteced.* Praeit *Elenchus Capitum*, in quae

Dictiones III. sive Libri divisi sunt. Initium Operis: *Omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas &c.* Finis: *determinandum supponimus auctoritati ecclesie catholice seu generalis concilij fidelium christianorum. Amen.*

II. fol. 88. Incipit *Dialogus doctoris evangelici et primo Tractatus primus.* Initium: *Cum locutio ad personam &c.* Ad calcem: *Explicit Dialogus Wicleph Doctoris evangelici Scriptus sub Anno domini M^oCCCC^oXL^o.* Ut saepe alias. Margo diligenter rubricis pernotatus, et ipse character *Codicem* hunc *Bohemiae* adsignat.

DXLIII.

Codex membraneus lat. Sec. 118. XIV. Folior. 65. f. per duas columnas caractere minori scriptus, rubricisque distinctus hunc praefert Titulum miniatum: *Incipit liber magistri Willelmi de sancto amore socii condam de sorbona parisi. in quo recolliguntur scripture catholice et canonice ad defensionem ecclesiasticè Ferarchie. et ad instructionem et proporcionem (praeparationem) simplicium fidelium christi contra pericula imminencia ecclesie generali per ypocritas. pseudo predicatores et penetrantes domos ociosos curiosos et gerouagos.* Nota sunt in *Historia ecclesiastica Seculi XIII.* diffidia, quae *Parisiis* inter *Acadèmiam* et *Ordines Mendicantes* fervebant. In his *Guilelmus* noster *Sequanus*, *Philosophiae* primum *Doctor*, dein

2063

C O D I C E S

2064

dein Theologus et Academiae Rector pugil inclaruit scripto primum de *Periculis novissimorum temporum* Tractatu, quem Alexander IV. flammis Anagniae devovit, tum praesenti Opere, quod animo infraetus 1266. Clementi IV. mittere non dubitavit. Constat Prologo, qui incipit: *Sapientiam antiquorum omnium exquiret sapiens &c.* dein V. *Distinctionibus*, quarum primae initium est: *Prima ergo distinctione huius tractatus ad sciendum qui sint pseudo predicatorum et penetrantes domos &c.* Ultimae finis: *cui data est omnis potestas in celo et in terra, ut legitur Matth. ult. per infinita secula seculorum Amen.* Accedit tabula lemmatum L. hoc rubro: *Hec sunt signa quibus pseudo predicatorum a ueris predicatoribus possunt discerni.* Ne pluribus immorer, Editio et huius et aliorum *Guilelmi* Operum facit, quae *Parisiis* a *Job. Cordesio*, ut putatur, procurata in fronte impressa dicitur *Constantiae ad Insigne Bonae Fidei apud Alitophilos.* 1632. 4. Praefixam habet luculentam de *Libris et Doctrina Magistri Guillelmi de Sancto Amore diaconi*, ad quam Lectorem remitto, id addere contentus, *Guilelmum*, quamvis *Dominicanos* plurimum impetierit, haereseos labe, quam ei liberalius quidam adspersere, purgari a Viro rectissimo *Nat. Alexandro* T. VII. *Hist. eccl.* p. 93. Codex noster in hanc notam definit: *Iste liber est scriptus parisiis pro magistro alberto de Boe-*

mia tunc rectore uniuersitatis parisiensis. exeunte. per manus iohannis dicti crispus. quem compleuit Anno domini. M^o. CCC^o. 56. die. 7^{ma}. mensis marcij tempore carnispruiij quo tempore festum translationis beati Wenceslaj die ueneris proxima ante carnispruium contigerat celebrandum. Albertum hunc in Caes. Egassii Bulaei Hist. Univ. Paris. T. IV. p. 948. inuenio ad an. 1349. Procuratorem Nationis Anglicanae, et ad an. supradictum 1356. Rectorem. Audit ibi Albertus de Praga familiaris Clericus Serenissimi Principis et D. D. Caroli Romanorum Regis semper Augusti et Bobemiae Regis; id quod suspicionem movere cui posset, Adalbertum Rankonis Cod. alio memoratum, et hunc Albertum unam eandemque esse personam; quod enim Bulaeus ait, Albertum etiam de Alto Castro cognominatum fuisse, id perperam ab Alberto de Hobenberg, qui apud Bulaeum in Catal. illustr. Academicorum nostrum sequitur; ad hunc translatum esse videtur.

DXLIV.

Codex chartaceus lat. Sec. 156 XV. Folior. 105. f. lineis ad densatis, ceterum bene scriptus et rubro distinctus continet *Varia Theologici argumenti*, prout hic edifferemus. I. *Guillelmi de S. Amore Collectiones Catholicae et Canonicae Scripturae*, ut Cod. praeced. ex quo Codice multum etiam correctae et subpletae sunt,